1783 Loi A. Ad.. Josephum II...

AD
AUGUSTISSIMUM ROMANORUM
IMPERATOREM

# JOSEPHUM II.

# ALLOCUTIO

ANTONII FELICIS COMITIS

ŁOS

à STATIBUS REGNORUM GALLICIÆ & LODOMERIÆ

DELEGATI

Habita die 26. Junii Anno Domini 1783. Leopoli.

LEOPOLI
Typis Casimiri Szlichtyn.

Non habes AUGUSTISSIME IMPERATOR nec in Fortuna Tua majus quam ut poſſis, nec in natura Tua melius quam ut velis Tibi ſubjectos omni ratione beare.

Non ſatis enim benignitati Tuæ videbatur, ut Nobis præter multa & magna Bona Status Nobilitatis Regnorum iſtorum revindicatorum Galliciæ & Lodomeriæ, atq; Ducatum Zatoriæ & Osviecimiæ clementiſſime concederes, illud præterea ad felicitatis cumulum adjeciſti, cum eandem Nobilitatem illorum dignam eſſe exiſtimaſti, è qua Prætoriana Cohors, tanquam ipſius Tui Paterni, & intime Nobis dilecti corporis cuſtos, ad ornamentum & utilitatem gentis deligeretur.

Eſt hoc perſe ingens atq; glorioſum, ſed tamen Magnificentius, & Ornatius eſſe illo nihil poteſt, quod è tanta Gentium multitudine, quibus longe lateq; imperas, pauciſſimas hoc tanto honore, ac fide dignatus es, ad quarum Societatem hæc Tua Regna, tempore quidem quo Tuo Imperio reſtituta ſunt, amore vero & fidelitate in Te nullis poſtrema, vocaſti; ut & Amplitudinem Muneris hujus, & AUGUSTÆ TUÆ Mentis fiduciam, & dignitatem Populi iſtius ſimul declarares.

Tantus eſt autem hujus honoris ſplendor, illumq; tot Privilegiis, haud vulgaribus inſtruxiſti, ut ad totius Gentis notitiam ſi pervenerit, omnium certè erga AUGUSTISSIMAM MAIESTATEM Tuam voluntates, & Studia tenerius ſit incenſurus, hinc cum homagiali,

&

& Subditali Cultu Status per me AUGUSTISSIMAM MAIESTATEM Tuam humillime orant, ut ea Typis mandari, atq; divulgari clementissime concedas —

Est hoc Omnibus in votis ut Deus Optimus Maximus, istam benevolentiam Tuam vere Paternam, & Animum vere Regium, Tibi perpetuum esse velit, Teq; Regnis quam diutissime tueatur incolumem, ut longævis annis sub Optimo Principe ac Patre veris bonis floreant.

Ad Nos vero quod attinet de nullo alio grati animi genere magis nos sollicitos fore, quam de eo, quod máxime Tuo Animo dignum sit, quodq; solum benefaciendo exigis, nempe: ut beneficio recte & ad Utilitatem publicam cujus ipse summo amore flagras, quilibet utatur.

Mihi vero summopere gratulandum existimo, quod cum ævo Superiori hoc ipsô Annô Antecessor meus ad AUGUSTISSIMUM Imperatorem Leopoldum Munere Legati insignitus fuerat. Ego nunc Sæculo recurrente ejusdem Nominis, & Sangvinis ad Solium Tuum AUGUSTISSIME IMPERATOR me sistam, non jam ab extera, gente, sed â Tuis in Te propensissimis fidelissimisq; Galliciæ & Lodomeriæ subditis, ut pro Tua in eos singulari benevolentia, & Paterna Clementia, grati animi & fidei intemeratæ significationem declarem æternum duraturam.



(*) *Vladislaus ŁOS Palatinus Pomeraniæ Anno 1683.*